



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt V. De obligatione Capellani, quando adsunt pedimanta celebrandi,
quæ ipseremo. vere non potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

7. Vnum non prætermittam; esse nimirum probabile etiam in hoc secundo dispositionis modo n. 6. dicto, satis esse si talis eligatur, qui iusta annum possit ordinari. Ita *Fag. Ecc. præc. 1. l. 3. c. 9. n. 2.* *Loth. de re Benef. l. 2. c. 47. n. 51.* Ratio est: quia interim potest supplere per alium: & ex alia parte, qui intra tam modicum tempus fieri Sacerdos potest; iudicatur habere sufficientem habilitatem, cum is, qui in proximo initiandus est Sacerdos, ut Sacerdos habeatur in iure.

§. III. *Obligatus per se ipsum, per alium celebrans an peccet? Et an obligetur ad restitutionem?*

1. **Q**uod peccet, & quid ex genere suo mortaliter (ni excusetur à parvitate materiæ, vel à necessitate, de qua mox *cap. 5.*) dubium non est, quia agit contra mentem Testatoris, contra pactum: Vide, quæ diximus supra *cap. 2. §. aliqua* enim ex illis sunt hic proportionaliter applicanda.

2. Quoad restitutionem. Dico non obligari. Ita *Bonac. disp. de Enc. 4. q. ult. p. 7. §. 1. n. 2.* ex *Azor.* Ratio est, quia quantum ad principale, (qui est fructus ex opere operato) tantum exhibitum fuit per alium, quantum fuisset per se ipsam cum omnia Sacrificia sint ejusdem valoris.

3. Dices, at devotio forte fuisset major ejus, qui per se ipsū celebrare debebat, unde potuit illatū fuisse damnum ei, qui Missam petiit, quoad fructum ex opere operantis. *Respondeo.* At devotio forte fuit major alterius, qui supplēvit, unde potuit evenisse majus emolumentum ei, qui Missam petiit. Adde dictum fuisse supra *c. 1. §. 9. n. 11.* hujusmodi fructus spirituales, quamvis, à petentibus Missas omnino volitis, non cadere tamen, quoad restitutionis onus, in considerationem.

De Sacerdote, qui committit alteri Missas, quas hic non celebrat.

4. Si Capellanus, etiam ille, cui permittitur per alium celebrare, alium deleget, & hic non celebrat, quid fiet?

Dico Capellanum debere numerum Missarum vel per se, vel per tertium supplere, vel elemosynam reddere. Ratio est, quia si à te ego emerem v. g. picturam à te faciendam, & tu traderes illam dato pretio, efformandam alteri tertio: si hic ex quocumque casu, etiam subitanea morte correptus, exequi injunctum opus non potest, tu non eximeris ab obligatione providendi me de pictura; ita proportionaliter in casu nostro: Et Ratio ulterior est quia tibi perit, seu deficit ille susceptus, non mihi, qui tecum contraxi, non cum illo.

CAPVT V.

De obligatione Capellani, quando adsunt impedimenta celebrandi, quæ ipse removere non potest.

1. **I**D hic agimus: nam quando removere potest, dicemus *capite sequenti.* Et quamvis utriusque tractatio commodiorem fortasse habuisset alibi locum, huc tamen, ubi agimus de obligatione Capellani, nec incommode rejecta est.

2. Solent autem ejusmodi impedimenta se tenere vel ex parte Sacerdotis, vel ex parte loci, vel ex parte temporis, vel ex parte similibus circumstantiarum, & quibus claritatis gratia, sic breviter separatim disputamus.

§. I. *De impedimentis ex parte Sacerdotis.*

1. **S**i Capellanus infirmus, carcere detentus, vel simili impedimento laborans tenetur per se celebrare, nec potest; certum est eum esse excusandum à celebrando per se, quia est legitime impeditus. Ita Doctores maxime citandi. Sed adhuc queritur, an tunc statim teneatur per alium supplere, ne scilicet gratis fruatur interim stipendio annuali, quod pro se currit?

2. Dico distinguendum esse, *ibid.* Si breve est impedimentum, non tenetur teneatur, si longum, nisi expresse

colligatur, mentem testatoris fuisse, ut nunquam Missa. Ratio est, quia præsumendum est Testatoris fuisse tam rigide in brevi impedimento cum suo Capellano agere; ut statim ad restitutionem teneretur, si longum, vel quando se declaravit, præsumitur voluisse, quæ longa infirmitate eademque est ratio de cæteris legitimis impedimentis; *Barbosa de pot. Ep. p. 2. coll. 24. n. 31.* aliter infirmitatem octo, vel decem dierum; *Bonac. disp. de Enc. 4. q. ult. p. 8. n. 17.* quindecim dierum *Pett. de rest. lib. 2. cap. 2. n. 210.* unius mensis. *Delong. de d. 21. sect. 2. n. 49.* mensium duorum: Omnes præterter, quia in iure tale tempus breve iudicatur. *Vide cap. 1. §. 9. n. 4.* Vide etiam *c. 3. §. 1. n. 6.* ubi advertitur dari Vacationem, quando onus est susceptum à Sacerdote, sed debere esse totius Monasterii, quod rarissimum erit. Nec dari vacationem acceptis elemosynas manuales, vel legata annua ex illius etis patet.

4. Quod si in Monasterio, vel Ecclesia adsint infirmi, sed qui validiores sunt, sufficientes ad administrandum: illa illorum infirmitas non excusabit, quia obligatio sit Monasterii, & non particularium infirmorum, quæ incolumes remanent, onus totum Monasterii incumbet.

Quod si qui sani remanent omnia onera, quæ diversarum personarum habet Ecclesia, solvere non possunt: quæ possunt solvari.

5. At quantum personarum, quandoquidem ratio de una, quam de alia? *Respondeo.* aliter singulorum, ita ut omnes aliqua Missa cæteant, aliter habeant, juxta majus, vel minus legatum à singulis Ecclesiæ relictum, pinguiori plures Missæ, minus pauciores tribuendo. Ratio est, quia ita æquitas exparte videtur, non enim video cur in hoc casu, locum habere possit illa Regula, *Qui prior est tempore, prior est jure:* cum prioritas non videatur hic esse momenti, ut vincat cætera posteriora legata sunt pauciora.

6. Negotium grave Capellani, vel incommode ducuntne dictum legitimum impedimentum? *Respondeo* affirmativè de priorè, sed de posteriorè negati. Ratio est quia negotium grave reducit ad Necessitatem: incommoditas, dum remanet in terminis incommunitatis, ad negligentiam, ad quam evincendum præhabet stipendium Capellani.

Vnum adverto: Superiorem, quando videt summa Sacerdotum dicta legitima impedimenta, debere esse illicitum ad alios advocandos in subsidium, æquitas postulat, ut si id possit, non negligat.

§. II. *De impedimento ex parte loci.*

1. **S**i Ecclesia est violata, si interdicta, si deserta, si non inveniuntur claves ejusdem, ad quid obligatur Sacerdotem?

Dico maxime hic esse advertendum, an Fundator Præsentiam solam intenderit, an etiam Applicationem, de qua re satis supra *cap. 1. §. 2. num. 15.* dictum est: si enim solum intendit Præsentiam ob commoditatem populi, vel ob aliud in tali die determinato, ad nihil Sacerdotem obligare poterit, quia jam impossibilis vel naturaliter, vel physice reddita est executio mentis Fundatoris tali addita die, nec alium diem curantis. Si vero intendit Applicationem, vel merum cultum. Dico consequenter Sacrificium nulli diei additum, tum loco Capellani obligamus, vel ad celebrandum eodem die in alio loco, si locus aptus suppetat, vel ad resurgendum alio die. Ratio est supra tacta, id est præsumptum Fundatoris voluntas. Cætera pertinentia ad locum, vel loco suo supra *cap. 2.*

§ III. De impedimento ex parte temporis, & aliarum circumstantiarum.

De impedimento ex parte temporis tum ex proximè dictis, tum ex dictis *cap. 3. §. 1.* satis superque colligitur, quid sentiendum sit.

Idem de ceteris impedimentis, v. g. quod non inveniantur, nulla Capellani culpa, Calix, vestes sacræ, Hostia, & similia; ex dictis enim facile quis intelliget ad quid in ejusmodi casibus Capellani obligare oportebit.

CAPVT VI.

De obligatione Capellani ad removenda, vel non apponenda impedimenta celebrandi, quando ea non apponere, vel removere potest.

Capellanus obligatus eras; perendie, sequentibus diebus per se ipsum celebrare, est v. g. infirmus, vel carcere detentus, vel excommunicatus, &c. quam obligationem habet removendi impedimenta carceris, vel morbi ad finem adimplendi debitas Missas; Rursus, si permittat se in carcere conici, si in remotas regiones discedat, si Missale projiciat, sanè impeditur, nec possit sacrificare; quærimus, quam obligationem habet hujusmodi impedimenta non apponendi?

§. I. Præmittitur aliqua necessaria pro resolutione questionis.

Hæc, & similia decernamus, præmittendum est, quoties quilibet obligatur ad observandam aliquam legem, obligari etiam ad non apponenda impedimenta, & ad ea tollenda, si adsint, quæ obstant observationi legis. Si quis, v. g. obligatur audire Missam, obligatur etiam ad surgendum à lecto, quod est impedimentum illam audiendi. Ratio est, quia Superior, qui præcipit finem, censetur, & media ad ipsum præcipere, secus non efficax finem vellet, & sanè desiceret, si veluti terminum volens non curaret de viâ, non apponere autem, vel tollere impedimēta, unū est ex mediis ad habendū finem.

Quoniam vero non semper obligamur omnia omnia impedimenta removere, seu non ponere, statim enascitur difficultas, ex quoniam modo nobis constare possit, quænam obligemur, quæ vero non item? Et quidem varij modi afferri solent. Ille à Sanc. lib. 1. in dec. c. 15. & à Meroll. *nm. 2. d. 4. de leg. dub. 37.* repetitus, ferè nunc ab omnibus recipitur; quod scilicet spectanda sint quatuor. Primo, vis, & rigor præcepti, quædam enim benignius, quam alia explicantur, ac minoribus causis excusantibus indigent. Secundo, necessitas, & utilitas, quam affert ejusmodi impedimentum, de quo an tolli, vel non poni debeat dubitatur. Tertio, vicinitas, aut distantia, quam tale impedimentum, vel medium habet ad rem præceptam: minus enim distat ab impedienda auditione Sacri iter à me corripum die Iovis, & die Sabbati quam ipso die Dominico. Quarto, conjunctio per se, vel per accedens, seu intrinseca, vel extrinseca, quam habet medium cum materia seu re præcepta. Magis enim, v. g. per se, & intrinsece conjungitur Breviarium cum recitatione Horarum, quod per se ad illas requiritur, quam conjungatur bona valetudo, aut non esse excommunicatus cum auditione Missæ, quæ solum per accedens ad illam pertinere videtur.

His diversimodè in singulis præceptis computatis, judicandum erit (ait *ibidem* Sanchez) an culpa sit admittenda, vel non prohibere impedimenta illis præceptis obnoxia. Sed id fuscè persequi ad nos non pertinet: poterit legi Calliopalaus *nm. 1. d. 1. de leg. p. 1.* & Merolla. *dicto* *dub. 37.* alique ab ipsis citati.

Præmittendum secundo, in materia, de qua nos agimus, adesse unum, quod magis, quam in aliis materiis urget Capellannum ad prædicta impedimenta tollenda, vel non tollenda: nos enim hic supponimus adesse

pañum inter Testatorem, & Capellanum, seu inter Missas exposculantes, & inter promittentes, quare cum hic urgeat titulus iustitiæ, qui fortior est cæteris, major erit obligatio Sacerdotis. Fac, v. g. te debere centum Petro, ex contractu emptionis cum illo inito; certè non solum, eodem die, quo, ex conventionione solvere debes, sed etiam in quocumque præcedenti, pro die conventa, urgeris ad tollenda impedimenta solutionis, si potes, immo & ad moralem diligentiam adhibendam, ut pecuniam pro eodem die habeat. Id quod non tam rigide obligatis præstat in observanda, v. g. aliqua lege: neque enim obstringis ante tempus obligationis tam stricte impedimenta quæcumque tollere, & media adhibere, v. g. non obligaris duobus, vel tribus diebus ante diem festivum abstinere à minere, ne scilicet ponas impedimentum ad audiendum, eodem festivo die, Sacrum.

His positis, rem hæc satis ex se variam, quinque diebus expedio.

§. II. Resolvitur quandonam Capellanus obligetur non apponere, vel removere impedimenta celebrandi.

Dico primò; Capellanum, ut suæ obligationi satisfaciatur, non posse die eodem, quo celebrare obligatur, ponere impedimenta per se obstantia Sacrificio. Hinc non potest se eodem die inebriare, dormire, confabulari, Missale proicere, vestes cæteraque Sacra instrumenta in arca reposita non extrahere, vel de loco vicino non accipere, &c. Ratio est, quia si hæc eodem die poneret, clarè convinceretur nolle suæ obligationi satisfacere.

Dico secundò, nec ante tempus obligationis posse Capellanum apponere voluntaria impedimenta, quamvis per accedens obstantia, nisi ex verbis Fundatoris, vel præsumpta ejus mente, ei aliquid permittatur. Ratio ducitur ex rigore tituli iustitiæ jam dicto.

Hinc deducitur Primò, an si Capellanus se inebriat ante tempus urgens celebrandi, peccet contra pactum initum; Secundo, quid si aliud discedat, ubi celebrare die statuto non possit; Tertio, quid si ante dictum tempus proiciat Missale, vel Ecclesiæ claves; Quarto, quid si cibum nocivum comedat, vel quid simile faciat, quo infirmetur, & sic sacrificare non valeat, Agnus autem, quando non adest legitima excusatio, vel quando non suffragatur aliqua facultas juxta supradicta, vacandi, vel aliquid simile.

Puto enim in Primo, Secundo & Tertio peccari à Capellano cum obligatione restitutionis; in Quarto non item. Ratio est, quia se inebriare, vel discedere à loco Sacrificij, ut item Missale, seu claves proicere est veluti directe inito pacto velle contradicere: At comedere cibum nocivum, vel quid scire, quo in morbum incidat, non ita, & ex alia parte, nec ex voluntate Fundatoris, nec ex consensu subsecuto Capellani, præsumendum est, ipsum obligari ad sanitatem tuendam, propter hunc determinatum finem celebrandi.

Dico Tertio. Si Capellanus sit infirmus, si carcere detentus, si simili impedimento constructus, non obligatur sanitatem, vel liberationem procurare, ut satisfaciatur obligationi celebrandi, nisi quid expresse in Fundatione dictum sit. Ratio est, quia non puto Fundatorem voluisse suum Capellanum in his corporalibus impedimentis involuntariis, quæ multum per accedens se habent ad celebrationem Sacrificij, tam rigide obligare, dum modo quando potest, & quando iuxta dicta c. 5. §. 1. & 2. debet supplere dictus Capellanus per alium.

Dico Quarto Si idem sit excommunicatus, suspensus, interdictus, ut etiam si per ipsum stet, quod locus, ubi celebrare debet, sit interdictus, obligari videtur ad procurandam absolutionem, semper intelligendo, si non potest per alium, vel alibi supplere. Ratio est, quia hæc sunt directa impedimenta Sacrificij ad quæ excludenda, cum potest, ratio iustitiæ omnino Capellannum cogit.

Dico Quintò, Quando cibum nocivum sumere